Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 293
Quelle:
Copyright:

II. *fol.* 64. succedit *Lectura in Evangelium S. Johannis*, incipiens a *Lirani* Prologo: *Facies Aquilae desuper* &c. ut in Bibliis Gloſſatis. Ad calcem: *Finis jo. in 4ª feria poſt octauam reſurrectionis Domini.*

III. *fol.* 137. *Lectura in Evangelium S. Matthaei* praemiſſo *Lirani* generali Prologo in Evangelia: *Quatuor facies uni* &c. Ad calcem: *finis Mathei in vigilia circumciſionis.*

IV. *fol.* 203. *Lectura in Evangelium S. Marci* praemiſſo itidem *Lirani* Prologo: *Facies leonis a dextris ipſorum quatuor* &c. Ad calcem: *finis marci in octaua epiphanie.*

V. *fol.* 232. p. 2. *Lectura in Evangelium S. Lucae* cum *Lirani* Prologo: *Facies bouis a ſiniſtris* &c. Ad calcem: *finis in 4ª feria poſt inuocauit.* Nolo prolixior eſſe in recenſendo Commentario e *Gloſſa ord.* et *Lirani Poſtillis* maximam partem convecto, quem, ut in *Codice* non procedat debito Librorum ordine, pro Scholis tamen ex adſcriptis ad calces autumo, ab *Novembri* vel *Decembri* 1445. usque ad *Novembrem* 1446. praelectum fuiſſe, initio a *Matthaeo*, et fine in *Actis Apoſtolor.* dato. In Autoris notitiam deducere poſſunt, quae ad finem *Codicis* ab eadem manu leguntur: *Anno domini M CCCCX° et eodem anno papa alexander erat bononie et obijt ibidem in aſcenſione chriſti et electus eſt ibidem pro eo johannes XXIII. poſt pentecoſten, et ego conradus Rumel veni de curia circa feſtum michaelis et proceſſi ad ſacros ordines in angaria ante natiuitatem Domini quando incipiebat annus Domini XI. Conſidera o conrade, quam miſericors eſt Deus et invoca eum, ut omnes illi mendaces inveniantur, qui dicunt tibi, quod non permaneas in bono propoſito, ſpecialiter ut ille mendax inveniatur, qui dixit tibi anno Domini MCCCCXI. in die conceptionis marie in domo conradi Ruoker, quod infra ſpacium trium annorum haberes duos pueros.* Cum Nota haec *Codici* coaeva ſit, adeoque circa a. 1446. ſcripta, Scriptore tunc ſaltem annum 58. agente, mirum, quam is animo alte infixum habuerit illud Pauli: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* Ad quos *Rumelios* ille pertinuerit, ignoro; nihil enim de illo in Scriptoribus noſtris Academicis. *Conradi* nomine deceptum quendam Thecae Codicis inſcripſiſſe video: *M. Conradi Salder.* Virum hunc ex *Rotenacker* oriundum anno Praelectionis noſtrae 1446. *Artium* tantum *Magiſtrum* et *Nat. Rhenanae Procuratorem* invenio, quae cum Cathedra theologica vix congruunt.

CXCV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 15ᵉ Folior. 359. f. bene ſcriptus, et rubricis diſtinctus exhibet: I. ut e calce praeoccupo, *Lecturam* in Actus Apoſtolorum *per R. Magiſtrum Stephanum marquardi de ſtockharn pro primo curſu ſuo in ſolempni vniuerſitate Wyen. lectam.*